

Tentamen medicum inaugurale de cynanche tracheali / quod ... pro gradu doctoris ... examini subijcit Gulielmus Cuninghame.

Contributors

Cuninghame, William, M.D.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Glasgae : Excudebat Andreas Foulis, 1790.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/utxq6xmr>

Provider

University of Glasgow


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



J. W. MACKIE,
Student of Christ Church,
OXFORD.

Sheak


Glasgow
University Library




David Murray Collection
1928


Mv55-f.19





Bd ✓





Pl.

Formos. Index

Subj.

Prov.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

59

CHICAGO, ILL.

Dr. Mac-hie M. D.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGI GLASG. *Praefecti;*

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu.

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS

UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS CUNINGHAME, A. M.

SCOTO-BRITANNUS.

SOCIET. AMER. PHYSIC. EDIN.

FRASES ANNUUS ET SOC. EXTRAORD.

NEC NON

SOCIET. REG. PHYSIC. SOC. HON.


Ad diem iii. Junii, hora locoque solitis.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS,
EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

M.D.CC.XC.

Doctor Macbie with
Respectful Compliments
From the Author



JOANNI MACKIE, M. D.

APUD HUNTINGDON;

PROPTER BENEFICIA EJUS INNUMERA,

SIBI,

PER ANNOS NONULLOS,

STUDIO ELEMENTORUM MEDICINAE,

SUB ILLIUS AUSPICIIS INCUMBENTI,

COLLATA:

MARCO SPROTT,

ARMIGERO.

LONDINENSI;

EXIMIA COMITATE,

MORUMQUE SUAVITATE,

INTER SODALES PRAESTANTI;

CUJUS AMICITIA,

OBLIAMENTO,

SIBI OLIM FUIT:

JOSEPH H. HARTMAN

1877-1878

JOSEPH H. HARTMAN

1878

JOSEPH H. HARTMAN

JOSEPH H. HARTMAN

JOSEPH H. HARTMAN

1879

JOSEPH H. HARTMAN

1880

JOSEPH H. HARTMAN

JOSEPH H. HARTMAN

JOSEPH H. HARTMAN

JOSEPH H. HARTMAN

JOSEPH H. HARTMAN

JOSEPH H. HARTMAN

JOSEPH H. HARTMAN

ROBERTO HAWTHORN STEWART,

ARMIGERO.

DE PHYSGILL:

CUJUS BENEVOLENTIA,

INGENIUMQUE HONESTUM,

SEMPER HONORI HABENDA:

DENIQUE,

VIRO REVERENDO

ROBERTO CUNINGHAME,

DE BALGOWNIE,

PATRI SUO DILECTISSIMO

CUJUS CURA

STUDIUMQUE ERGA SE PATERNUM,

HACTENUS PER VITAM SUAM,

SEMPER EMINUERUNT:

HÆ STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

SACRAS ESSE

VOLUIT

GULIELMUS CUNINGHAME.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

PHYSICAL SCIENCES

AND

THE

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE

PHYSICAL SCIENCES

AND

THE

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

OF THE

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

INAUGURALE

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

HIC morbus magni momenti est; licet multum neglectus a medicis; quippe qui perraro in adultis occurrens attentionem eorum non saepe vindicârit. Nuper Home Cel. professor eundem nomine Croup, sive suffocationis stridulae descripsit; judicans eum maximi periculi esse in infantibus. Ex eo tempore et alii eam rem attigerunt ita ut paulo plus investigari caeperit inter medicos; nec tamen, ut mihi videtur, pro dignitate ejus. Nam et natura morbi, et parvulorum, quas adoritur, nostrae aetatis attentionem merito vindicant. Mihi igitur consideranti quam saepe parvulis hic morbus lethalis fuerit, quanta attentione digna sit, quam saepe contra ejus vires tota ars medica manca ceciderit, de cyn. trach. paucis differere, operae pretium facere, visum est. Dicam

A

autem solum de ea specie, qua parvuli opprimuntur, quamque Cel. Home *the Croup* appellat, additis saltem non nisi paucis verbis de cynanche tracheali adultorum. Dicit autem Cel. nuper Professor Cullenus, hoc nomine insigniri inflammationem glottidis, laryngis, five partis supremæ tracheæ, five harum partium membranae, five musculi afficiantur. Interdum in his partibus oritur, ibique tantum manet; interdum has partes afficere coepit, orta, a cynanche aut tonsillari aut maligna huc diffusa. Et hæc et illa rariores sunt; et pauca ejus exempla apud medicos existant. Dignoscitur sono peculiari clangenti; respiratione difficili, cum sensu contractionis circa laryngem, et comitante pyrexia. Ex horum symptomatum natura, pariter ac sectione cadaverum elucet, morbum esse inflammatorium. Non tamen semper cursum inflammationis percurrit. Sæpe enim tantum aeri obstructionem ciēt, ut ægrotus statim suffocatione pereat. Hanc esse morbi naturam, vel ex hoc apparet, quod citra suffocationem, quæ vix sananda, optime tractatur, usu potentissimorum remedium inflammationis, eorumque statim ab initio adhibitorum. Atque

haec sunt, quae libris de hoc morbo colligere licet; omnia ad adultos fere pertinentia ‡. Sic sententia Cel. Culleni, de hoc morbo in adultis exposita, nil impedit quin statim ad eum morbum progrediar, de quo stricte sermo est. Incipiam a Culleni definitione; quippe quae, me iudice accuratissime phenomena enumerat.

Cynanche trachealis; respiratione difficili, inspiratione strepente, voce rauca, tussi clangosa, tumore fere nullo in faucibus apparente, deglutatione parum difficili, et febre synocha *.

HISTORIA MORBI.

Multi scriptores hunc morbum variis sub nominibus descripserunt, ut D. Home nomine Croup, Millar nomine Asthmatis et Pertussis, Molloy in D. Ratty Historia tempestatum D. Russel in oeconomia naturae, nomine anginae inflammatoriae infantum, D. Hillary, de Barbadoes, nomine catarrhi suffocativi, et D. Michael, Gottingensis, nomine anginae polyposae, five membranaceae &c.

‡ Vid. First Lines; Paragr. 318—19—20—1, 2. * Vid

Synopsis, vol. 2d. pag. 94.

Ex his et aliis historiam, quantum potero, accuratissimam colligam. Dr. Home memorat hunc morbum imprimis ad parvulos pertinere videri; hosque quo juniores, si modo a lacte depulsi fuerint, eo obnoxiores eidem esse. Lactentes minus illi obnoxii videntur, vel, quod aequè verosimile est, quia, qua doleant dicere non possunt, pro alio morbo habetur †. Quo provectiores postea pueri fiunt, eo minus frequens morbus fit; nec adfunt exempla ulla puerorum amplius duodecim annos natorum, qui illo affecti fuerint. Adoritur pueros in sinu terrarum habitantes aequè ac, qui circa mare incolunt. Non videtur contagiosus; saepeque idem puer iterum a morbo corripitur; apparet saepissime tempore hyemali et verno.

Plerumque incipit symptomatis catarrhi communis; interdum vero symptomata morbo propria statim se ostendunt; quae haec sunt; vox rauca, acuta, clangosa, tum loquentis cum tussientis, quasi sonus e tubo aereo egrederetur; simul adest sensus doloris circa laryngem, et difficultas respirationis, tanquam si transitus aeris impediretur. Tussis hunc morbum comitans ple-

† Vid. Home on Croup.

rumque ficca est; quodsi vero quid excreatur, materia est puri similis, aut interdum cuticulae quae portiones membranae referunt. Simul pulsus frequens est, et initio plerumque validus, versus finem vero mollis et debilis semper; iniquies et sensus caloris molestus percipitur, citra fere omnem difficilem deglutitionem. Fauces internae visenti interdum vix ullam inflammationis speciem praebent; saepe tamen rubor et etiam tumor adparet; nonnunquam in faucibus materia apparet illi similis, quae excreatur. Mens sana manet usque ad finem; omnia symptomata valde cito cursum absolvunt. Aegrotus symptomatis nunc descriptis, et praecipue, sensu coarctationis in faucibus, laborans, saepe subito perit, plerumque tertio, quarto, vel quinto die.

Sunt autem praeter haec, et alia symptomata, quae morbum comitantur, qualia sunt, facies tumida, pedes oedematosi, sitis, urina nunc cum sedimento, nunc sine eo; vomitus, et obstipatio; sed haec quia non semper adsunt, ideo non ad characterem pertinent, ut quae ante commemoravi. Multae fuerunt puerorum sectiones hoc morbo mortuorum, semperque fere membrana apparuit

praeternaturalis, quae omnem internam superficiem superioris tracheae texit, pariterque deorsum porrecta in quasdam ex ejus ramis. Dr. Home memorat, hanc membranam illa esse tenacitate, ut vel per plures dies aqua calida macerata non solvatur †. Haec membrana praeternaturalis facile sejungitur, immo inventa est jam sejuncta, saltem aliqua pars ejus a subjacente membrana propria tracheae. Haec plerumque sana et integra reperitur, et sine ulla erosione aut exulceratione; saepe tamen vestigia habet inflammationis; indutaque est materia pus referente, ei simili quae tussi rejicitur; et persaepe materia ejusdem generis in bronchiis invenitur, nonnunquam sat magna copia.

D I A G N O S I S.

Morbi, quibuscum cynanche trachealis facillime confunditur, sunt caeterae cynanches species, catarrhus, asthma, et pertussis. Distinguitur facile a cynanche tonsillari, rubore et tumore tonsillarum, qui evidentiores hic sunt quam in cynanche tracheali; maxime vero sono illo peculiari lo-

† Vid. Home on the Croup.

DE CYNANCHE TRACHEALI. 7

quentis et tussientis, qui hunc morbum nunquam non comitatur. Eadem ratione a cynanche pharyngaea et parotidaea distingui potest; a cynanche maligna vero, ulceribus illis quae fauces et tonsillas afficiunt, typho et eruptione exanthematosa, quae fere semper malignam comitantur, trachealem vero nunquam. Distinguenda est a catarrho, eo quod contagiosa non est, et quod catarrhus non habet istam respirandi difficultatem, tussimque clangentem, quae cynanchem trachealem semper stipant. Distingui potest ab asthma, violenta pyrexia et tussi clangente, quae in asthma absunt. Denique distinguitur a pertussi, eo, quod non est contagiosa, pyrexia, quae illam comitatur, in hac autem vix considerata fit.

CAUSAE REMOTAE.

Hic morbus, ut in historia dixi, semper pueros nondum duodecim annos natos adoritur; necesse igitur est, ut sit in iis praedispositio quaedam tenerae eorum aetati propria; sed quatenam haec sit, non est facile dictu. Videtur eos pueros imprimis afficere, qui diuturnis catarrhis et per-

tussibus laborarint, quique convalescunt a vario-
lis rubeolisque; qui omnes morbi inflammatorii
sunt, et organa respirationis plus minusve affi-
cientes. Ex his omnibus, et quod morbus obser-
vatur eos pueros maxime adoriri, qui pleniores
sunt, ideoque morbis inflammatoriis obnoxii;
et quod frigus invenitur esse praecipua causa ex-
citans, verosimile fit, irritabilitatem nervorum in
pueris tam bene notam, hancque multum auctam
frequenti vagitu (nam hic et laryngem et trache-
am valide afficit, et has partes frigoris actioni ex-
ponit) morbo opportunum reddere. Frigus in
tracheam agere potest, exhalationem obstruendo,
quae in hac et pulmone semper fit, ita ut materia
exhalanda in vasa trachea rejecta, mox accumulati-
onem sanguinis efficiat; quae stimulando actio-
nem vasorum augeat unde, interjecto frigido sta-
dio, et spasmis, quibuscum semper stipatur, con-
tinuabitur actio vasorum. Hanc auctam actionem
credimus primo incipere in trachea; unde et in-
flammati ibi primo locum obtinet; nulla diathesi
phlogistica prius in systemate existente, sed tan-
tum opportunitate ad hanc; qua, stimulo admoto,
ista diathesis mox inducatur. Quare aucta actio

vasorum tracheae non diu manet, priusquam toti systemati communicatur, efficitque illum statum bene notum sub nomine diathesis phlogisticae.

CAUSA PROXIMA.

Variae fuerunt opiniones de causa proxima huius morbi. Nam alii ad spasmum, * alii ad morbosam membranam in tracheam, † alii denique ad inflammationem, ‡ spectant. Perspicuum est, spasmum non esse primariam morbi causam; licet sub finem morbi spasmus musculorum glottidis locum obtineat, qui videtur eam suffocationem inducere, quae saepe lethalis est. Neque verosimile est morbosam membranam esse causam morbi proximam; quia haec sine dubio effectus est non causa; quippe quae non appareat nisi aliquanto post morbum jam formatum. Ego cum D. Cullen inflammationem pro causa proxima habeo, quare ipsissima verba referam: "From the remote causes of the disease, from the catarrhal symptoms, constantly attending it, from the

* Vid. Millar on Asthma and Chincough. † Vid. Hame on the Croup. ‡ Vid. Cullens First Lines.

“ pyrexia constantly present with it; from the
“ same kind of praeternatural membrane being
“ found in the trachea, when the cynanche ma-
“ ligna is communicated to it; and from the
“ vestiges of inflammation on the trachea dis-
“ covered by dissection; we must conclude that
“ the disease consists in an inflammatory affecti-
“ on of the mucous membrane of the Larynx &
“ Trachea producing an exudation analogous to
“ that found on the surface of inflamed viscera,
“ and appearing partly as a membranous crust,
“ and partly as a fluid resembling pus. The ir-
“ ritation occasioned by the inflammation, seems
“ to produce a spasmodic affection of the glot-
“ tis, which always attends this disease. Tho’
“ this disease manifestly consists in an inflamma-
“ tory affection, it does not commonly end ei-
“ ther in suppuration or gangrene. The pecu-
“ liar troublesome circumstance of the disease
“ seems to consist in a spasm of the muscles of
“ the glottis, which by inducing a suffocation,
“ prevents the common consequences of inflam-
“ mation †. Ut explicemus formationem mem-

† Vid. First Lines, Parag. 326—7.

branae supra memoratae, exsudatione e superficie tracheae, observare liceat, hanc exsudationem a superficie viscerum inflammatorum, a D. Culleno integro sero similem haberi, quod effunditur in texturam cellulofam vicinam, in inflammationibus externis; quod, secundum experimenta Pringelii et Gaberi, quum motu careat, mutationem peculiarem subit, glutine, quod continet, in fluidum album, opacum, modice viscidum, et mire, pus vocatum. Hancce explicationem exsudationis a visceribus inflammatis, ego quidem vero similem puto, membranamque in hoc morbum inventam explicando, hac nimirum ratione, valde accomodatam. Judico exsudationem in superficie tracheae paulatim in fluidum puri similem mutari. Propter calorem partis auctum, partes aquosae et tenuiores aut resorbentur, aut per aera in respiratione dissipantur. Materia autem densa et puriformis paulatim per vim aeris semper admissi siccantem, concrevit in densam et firmam membranam. Quod autem postea in decursu morbi exsudatur, quum ejus partes tenuiores non ita dissipentur, ut membrana formetur, apparet forma fluidi puri similis, in quo membr-

na quasi natans, adhesionem suam ad superficiem tracheae relaxat. Sic rite explicantur et formatio membranae, et fluidi in trachea inventi. Haec explicatio mihi quidem probabilior et justior videtur, quam illa, cui assentit D. Home, qui eas res ad mucum refert.

P R O G N O S I S.

Hic morbus semper periculum habet; prognosis valde incerta est; ita ut summa cura summaque attentione opus sit, in judicio de eo formando. Quando morbus in salutem abit, hoc fit resolutione inflammationis, spasmo glottidis cessante, excreatione materiae a trachea exsudan-
tis, crustarumque ibi formatarum; licet saepe sine expectoratione finiatur, vel saltem ea tantum, quae omnem catarrhum comitatur. Quando morbus morte terminatur, hoc fit per suffucationem, quae videtur, ut ante dixi, a spasmo glottidis pendere; nonnunquam forsan a copia puris bronchias implentis.

METHODUS MEDENDI.

Hic tres statuam indicationes generales;

1mo. Tollere inflammationem topicam et diathesin phlogisticam.

2do. Occurrere suffocationi.

3tio. Impedire quo minus morbus redeat.

Quum hunc morbum ab inflammatione maxime pendere credam, ideo remedia ad primam indicationem exsequendam, certissima erunt, et summa cum diligentia adhibenda. Primam indicationem exsequi possumus.

1mo. Totum regimen antiphlogisticum adhibendo.

2do. Tensionem et tonum systematis arteriosi minuendo: hoc autem fiet,

1mo. Sanguinem mittendo, et purgando.

2do. Ufu diaphoreticorum.

3tio. Ufu expectorantium.

4to. Ufu refrigerantium.

5to. Vesicatoriis, et balneis tepidis.

De his omnibus figgillatim.

1mo. De regimine antiphlogistico. Omnes in externos sensus impressiones, quippe quae stimu-

lent, amoveri debent, imprimis vero calor externus; simulque evitandus crit omnis alius modus, quo calor augeri possit. Abstinentum ab omni corporis motu; praecipue vero ab eo, qui exercitium postulant musculorum ipsius; isque positus corporis eligendus, qui paucissimos musculos exercet; nullumque diu in statu contractionis retinet; quare positus horizontalis accomodatissimus videtur. Loquela, et vagitus, quippe quae respirationem accelerant, non admittenda. Omnis cibus animalis et potus spirituosus evitandi; oportetque aegrotum frugibus solis vesci, iisque generis tenuissimi, quales sunt, panada, decoctum avenaceum, decoctum hordei, &c. Sensus sitis, qui valde stimulat, semperque adest in hoc morbo, removendus est, potu frigido aciduloque ad libitum dato. Alius stimulus in hoc pariter ac aliis morbis inflammatoriis semper adest, a retentione praeternaturali foecum in intestinis oriundus; isque tollendus est frequenti usu enematum laxantium.

Alter modus hanc indicationem exsequendi est minuendo tensionem et tonum systematis arteriosi, quod fit 1. Venaesectione et catharticis. Nil evidentius hoc esse potest, venaesectionem inter potentissima remedia esse, quibus vigor systematis

haematophori minuatur; quare et efficax remedium esse debet, ad diathesin phlogisticam hoc in morbo, depellendam; et hoc experientia quoque docet. D. Cullen memorat venaesectionem universalem pariter ac topicam saepe praesentissimum fuisse levamen, iteratisque vicibus adhibitam morbum depulisse †. D. Home quoque dicit, venaesectionem videri optimos habere effectus, fierique debere quo citius et copiosius eo melius; dum pulsus aegroti patiatur. Optime sanguis primo e brachio mittetur, et postea copia justa detracta, hirudines applicentur gutturi anteriori et superiori ‡. Hae enim sanguinem immediate a vasis inflammatis detrahendo, levabunt eorum congestionem et spasmus, quos causam proximam morbi esse credimus. Ut sanguinis profluvium promoveatur, applicentur lintea, ex quibus calida aqua expressa fuerit, orificiis a hirudinibus factis; nam sic magnam sanguinis copiam elicere licet. Fortasse et cucurbitulas imposuisse juvabit; quae quum multa simul orificia aperiant, citius et copiosius quam hirudines sanguinem elicient, id quod in hoc mor-

† Vid. *First Lines*, Paragr. 30.
Croup.

‡ Vid. *Home on the*

bo, magnae utilitatis erit. Altera depletio perutilis in hoc morbo fit per cathartica. Utilior est facta per mitiora cathartica et modice. Adhibenda sunt enemata emollientia laxantia, cum oleo, ad irritationem foecum retentorum, vel fluidorum corruptorum in canali alimentali existentium tollendam. Non erit sine usu, dare laxativum mite per os, si aegrotus deglutire valet, nec suffocatio instet; hoc autem grati saporis debet esse. ita ut id capiat puer facile et sine anxietate aut vagitu. Hac de re D. Home: se, inquit plerumque placentas ex magnesia cum saccharo factas adhibuisse, aut salem neutrum in sero lactis solutum *.

Alter modus tensionem et tonum systematis arteriosi minuendi, est per usum diaphoreticorum. Haec autem sunt generis quadruplicis; nimirum emetica; sudorifica, sales neutri, et diluentia. De omnibus his pauca; et primo, de emeticis.

Haec plerumque juvant in febribus, praesertim initio; ideoque et hic adhiberi possunt.

D. Cullen dixit, " Vomiting is in many respects useful in fevers, as it evacuates the contents of the stomach, as it emulges the billiary

† Vld. Home on the Croup. p. 55.

“ and pancreatic ducts; as it evacuates the con-
“ tents of the duodenum, and perhaps also a large
“ portion of the intestines, as it agitates the whole
“ of the abdominal Viscera, expedes the circula-
“ tion in them, and promotes their several secre-
“ tions; and lastly, as agitating also the Viscera of
“ the Thorax, it has like effects there. All
“ these several effects are procured in many cases
“ and circumstances of fever, with advantage;
“ but do not properly fall under our view here,
“ where we are to consider only the effect of vo-
“ miting, in determining to the surface of the bo-
“ dy. This we do not impute to the exercise of
“ vomiting in agitating the whole frame; but to
“ the particular operation of emetics, upon the
“ muscular fibres of the stomach, whereby they
“ excite the action of the extreme arteries on the
“ surface of the body, so as thereby to determine
“ the blood into these vessels, remove the Atony,
“ and take off the Spasm affecting them. Emetics
“ for that purpose are administered in two diffe-
“ rent ways, i. e. either in such doses as may ex-
“ cite full and repeated vomiting, or in such as
“ may excite sickness and nausea only, with lit-

“ the or no vomiting at all †.” Has observationes de vomitu ad morbum de quo sermo est, pertinere, elucet ex adfinitate ejus cum febre. Est enim, ut in definitione observatum fuit vera synocha, in qua emetica insignis sunt utilitatis. Plena vomitio optimos in initio effectus habere videtur, ut D. Cullenus dicit: “ That upon the first attack
“ of the disease, vomiting immediately after bleed-
“ ing seems to be of considerable use, and some-
“ times suddenly removes the disease.” ‡ Neque tamen hos unice bonos effectus edere emetica valent in hoc morbo; utilia quoque sunt, morbo jam formato, dosibus nauseam cientibus tantum data, ad superficiem determinando ut in febre, et sic spasmus extremorum vasorum, quo aucta actio in hoc morbo fulcitur tollendo; possunt quoque sudorem aliquem elicere, eorumque operatio tutior fit, eo quod plerumque leniter purgant alvum, quo magnum levamen datur aegrotis. Possunt quoque sub finem morbi expectorantia fieri, et sic juvare, partem membranæ et fluidi in trachea et bronchiis inventorum, rejiciendo. Uti licet ipecacoanha initio ad plenam vomitionem;

† Vid. First Lines, Parag. 172—3—5.

‡ Ibid. Par. 330.

sed tartarus emeticus efficacissimum remedium videtur, quo sanguis superficiem versus dirigatur, et sub finem morbi expectoratio promoveatur. Hunc in finem dari potest dosibus parvis, ut quadrantis grani, vel minoribus adhuc, pro aetate aegroti, quarta quaque hora, donec efficiatur nausea, cum aliquo at non multo vomitu.

Judicamus parvam dosin tartari emetici posse exhiberi semel bisve in die ad expectorationem promovendam, si modo citra vomitum nauseam tantum moveat; bono cum eventu, in rejiciendo fluidum in superficie tracheae et bronchiarum contentum; sed hoc conjecturale tantum est, verosimile tamen, ob analogiam in pneumonia, ubi doses emeticorum nauseam cientes, efficacissimae inveniuntur, ad materiam e bronchiis, quae in illo morbo adest, rejiciendam.

Secundum genus diaphoreticorum, quod memoravimus, sunt sudorifica. Multum disputatum fuit, de horum usu in febribus; nos autem nil dicemus de argumentis pro hac praxi et contra eam prolatis; sed ostendemus, quo usque utilia esse possint in hoc morbo. Putamus, ea utilia evadere, eodem modo ac antea dictum fuit de emeticis; nimirum spasmus tollendo, eaque

ratione auctam actionem vasorum levando, ita ut solutio morbi citius fiat, quam alias; quod sine dubio magni est momenti. Hinc concludimus sudorem eliciendum esse, ubi omnia caetera adhibita morbum nondum sustulerint; periculumque sit, ne aegrotus sine levamine moriatur. Hic vero Cullenii leges sequendum; sic enim sudor tuto elicitur, quo tamen effectu, experientia discendum.

Proximum genus diaphoreticorum, salia sunt neutra. Quum autem plura dicta sint de emeticis et sudorificis, nil hic addendum restat, nisi haec salia eodem modo operari; scilicet ad superficiem determinando.

Tertius modus hanc indicationem obtinendi, usu expectorantium constat. Hujus classis remedia creduntur secretionem a trachea et pulmone augere, fluidaque illinc excreata tenuiora reddere; quare utilia erunt ad membranam et fluidum in trachea existentia evacuandum. Ex supra dictis de emeticis, elucet, haec potentissima expectorantia esse, igitur iis maxime utendum. Vapores aquae tepidae aceto commistae accipi possunt in tracheam; quorum stimulo et vi emolliente, eliminatio membranae adjuvetur.

Quartus modus usu refrigerantium absolvitur. Notavi in historia morbi, aegrum conqueri ingratum caloris sensum; unde haec remedia videntur postulari; et certo erunt et utilia et grata. Horum praecipua sunt acida omnigena satis diluta; porro sales neutri, praeter eos, qui acidum muriaticum in se habent. Sal neuter maxime adhibitus, est nitrum; caeteri tamen cuncti plus minusve iisdem dotibus gaudent.

Quintus modus hanc indicationem sequendi, constat ut antea dixi usu vesicatoriorum, et balnei calidi.

Primo igitur de vesicatoriis. D. Cullenus asserit haec utilissima fuisse in hoc morbo. De illorum modo operandi variae sententiae fuerunt. Culleni mihi maxime arridet; secundum quem vesicatoria cuti admota, et effusionem excitando, relaxant spasmus vasorum subjacentium. Eadem ratione et in hoc morbo illa utilia evadere credimus, ita ut in omnibus exemplis phlegmasiae. Applicentur vero quam proxime parti affectae. Venimus nunc ad balneum calidum. Hoc remedium usum pollicetur in hoc morbo, quia calor balnei stimulat vasa extrema, cumque humidi-

tate conjunctus relaxat. Nam sic et tuto adhibetur, et accommodatum est, ad spasmodum solvendum. Adhibetur totum corpus immergendo; quod tamen multum incommodi saepe habet; et observatum est, plurimos effectus calidi balnei habendos esse fomentis inferioribus extremis applicatis, si haec rite administrantur, et satis diu continentur, per horam nimirum ad minimum. Indicia fomenti bene operantis, sunt, remedium ab aegro bene toleratum, et somnus inductus. D. Rush Philadelphienfis in opere nuper edito, memorat, se opium et calomelas perutilia invenisse in hoc morbo. Observat, nos in hoc remedio praecipue spem ponere debere. Magna dosis datur quamprimum morbus se ostendat, et minores postea quotidie, dum ejus ullum symptomata restet. Vergit asserere, ipsum corticem Peruv. vix praesentius auxilium contra febres intermittentes esse, quam calomelas sic administratus in hoc morbo. D. Rush conjectat cum agere secretionem in glandulis muciparis augendo, in faucibus, aethophago, ventriculo et intestinis, et hinc eam secretionem in trachea minuendo. Fateor hanc explanationem mihi non satisfacere, licet alia in promp-

tu non fit. D. Rush finem imponit iis quae de hoc morbo dicit, his verbis: "I shall add, that
" the instances of the mortality of this disease
" have been very rare in Philadelphia, since the
" general use of the abovementioned remedies."*

Venimus nunc ad secundam indicationem, quae est, vertere suffocationem. Haec indicatio implebitur, usu antispasmodicorum, suffocatione maxime, ut videtur a spasmodica musculorum glottidis affectione pendente; quare his utendum. Illorum validissima sunt, opium, moschus, et assa foetida. In initio hujus partis necesse ut memoremus, quod a Culleno observetur; "Quamvis spasmus glottidis in hoc morbo saepe lethalem videamus, tamen remedia antispasmodica inutilia inveni." Attamen postquam remedia singula a prima indicatione postulata diligenter adhibuerimus, nullo effectu; periculumque est, ne aeger spasmis ut videtur glottidis, statim suffocetur, vix alia spes nobis manet nisi ex usu validissimorum antispasmodicorum. Quare, re sic se habente, ad ea confugiendum.

Quid quod a nonnullis medicis, ut a Doctori-

* Vid. Medical Inquires and Observations, pag. 145—6.

bus Millar et Rush, feruntur utilia fuisse. Quum decretum fuerit, antispasmodicis uti, horum validissimum igiturque primo considerandum, opium est. Cum nobis persuasum sit, spasmos glottidis ab irritatione inflammatoria oriri; cumque opium inter validissima contra irritationem remedia censeatur, concludimus illud in hoc morbi stadio utiliter adhibitum iri, variis methodis inflammationem leniendi antea rite adhibitis, eoque phlogistica systematis diathesi fugata, ut symptomatum adhuc restantium molestissimum sit ille spasmus. Re ita sese habente Opium magnis in dosibus exhibendum, quia ut Cullenus bene memorat, contra morbos spasmodicos nil prodest, nisi magna copia datum. Nobis videtur in opio principem spem hoc morbi tempore esse ponendam. Supra autem diximus operationem ejus, ut videatur in nervosum systema eam esse, ut irritationem cunctam minuat, spasmusque glottidis *ab ea pendentem* relaxet. D. Millar dicit: "To relieve the violence of the asthmatic paroxysms, musk was prescribed in large doses; it proved anodyne and diaphoretic, the spasms were allayed, and a gentle moisture was universally diffused over the whole body; the

" pulse became slow, full and regular, and a re-
 " mission of all the other violent symptoms en-
 " sued. D Cullen in sua materia medica obser-
 " vat, medicas moschi dotes ab odore valido pendere
 " videri; hunc igitur imprimis respicere medicos o-
 " portere; nam hoc parum animadverso, spem de
 " effectibus ejus conceptam saepius multos fefellisse;
 " hoc autem prius examinato, se moschum magnis
 " dosibus adhibitum validissimum antispasmodicum
 " invenisse. D. Millar pergit his verbis: " The dis-
 " ease was sometimes so violent at the first attack,
 " and the transition to the second stage so rapid,
 " that it required a medicine, which should ope-
 " rate more immediately and powerfully, than
 " musk had usually done. For this purpose assa-
 " foetida was prescribed, and with so good effect,
 " that in my later practice, it has in a great mea-
 " sure superseded the use of musk. An ounce
 " of this gum has been taken by a child of 13
 " months in the space of 48 hours, and almost as
 " much at the same time injected in glysters.
 " However nauseous it may seem to be, children
 " seldom refuse it; and even where they have
 " some aversion to it, if they are obliged to take

“ it, they soon acquire a taste for it, and not only
 “ use it without reluctance, but even with plea-
 “ sure. But in order to guard against every acci-
 “ dent, at the same time, that it was prescribed
 “ internally, an *assa foetida* glyster was ordered
 “ to be injected every 8 hours, till the paroxysms
 “ became more moderate *.”

Haec *assae foetidae* operatio mira quidem vide-
 tur; nec concipere animo possum, eam citius dif-
 fundi quam moschus, cui odoratam subtilis est.
 Quare credo D. Millar frustrationem ei rei attri-
 buendam esse, quod moschus non esset genuinus,
 aut sat magnis dosibus exhibitus. Nam D. Cullen
 memorat: “ If musk has not a strong penetrating
 “ odor, its effects will not be compensated by a
 “ larger dose, but, if its odor be sufficiently at-
 “ tended to, it is one of the most powerful an-
 “ tispasmodics, we are acquainted with †. Num e-
 meticum forte ex usu esse potest, ad morbosam
 membranam et fluidum foras eliminanda, quando
 his pendet suffocatio? Saltem res meretur, in quam
 inquiratur; omnibus caeteris irritis, in hoc forsan
 spes esset. Nequeo concipere, bronchotomiam

* Vid. Millar on Asthma and Chincough. pag. 39—40.

† Vid. Materia Medica, vol. 2. pag. 380.

utilem fore in hoc morbi stadio; timendum enim, ne ejus effectus quam qui a morbo procedant, periculosiores sint.

Morbo per remedia supra memorata depulso, facultas erit, ad ultimam indicationem fugiendi; nimirum, cavere, ne redeat. Hunc in finem, propter morbi periculum, omnia tentanda, quae illic inserviant; ut cortex Peruvianus, frigidum balneum, et motus. Si morbi perfecta remissio fuerit, detur cortex magnis dosibus, ad scrupulum, vel drachmam, unam alteramve aut tres in die; ita ut tertio vel quarto quoque die intermittatur, ne continuo usu vires perdat. At pueri saepe corticem, amaritudinem metuentes, recusant. Secundum D. Cullenum forma boli cum extracto glycyrrhizae porrigatur; sic enim ingrato sapore spoliatus a pueris devoratur. Sin adhuc recusent; aliquantum pulveris tenuissimi inspergatur et insuatur in plicis induriorum, ut euti proxime habeatur. Nam et sic utilis fortasse erit. Nonne et enemate injectus cortex in systema missus, tonicos edere effectus valet? Ipse exemplum intermittentis febris in puero sic repulsae vidi. Notum est balneum frigidum insignes vires possidere quibus systema ro-

boretur; quare, quum hujus morbi reditus ad debilitatem restantem maxime referendum fit, hoc illi caveri possit. Timendum, ne frigido balneo, utentes diutius quam par sit in eo morentur; paucis tantum minutis manendum; alioquin debilitas oriri posset. Indicium certum, illud nocere, si aeger statim ex balneo palidus languidusque syncope minetur; contra, si vegetus, si membra fortis et robustus, si denique pro frigore calor mox insequetur, per totam corporis superficiem serpens, et sudorem postremo excitans maximo usui erit.

Venimus nunc ad efficacissimum tonicum, nimirum motum notissimum et fortissimum ad totum systema roborandum remedium, quod agere videtur, vasa extrema superficiei, perque eam ventriculum, perque hunc totum systema excitando. Hoc remedio pro suis quisque viribus convalescentes utantur; primo leniter et more grato, ut in curru (si res secum ferant) aut alio modo vecti. Navigare quoque utile erit; et denique ad perfectam valetudinem lenta ambulatio perducet, cum caeteris vitae muneribus conjuncta. Semper tamen memoria tenendum

NE QUID NIMIS!

